



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Bibliotheca Pontificia**

**Jacob, Louis**

**Lvgdvni, 1643**

Approbationes

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11153**

---

## APPROBATIONES

R.P. Magistri Reginaldi de Vaulx, Doctoris Parisiensis,  
Ordinis Carmelitarum.

**V**T Bibliotheca hæc Pontificia ex his conflatatur, qui errare, saltem in fide, minimè possunt, ut uniuersalis credit Ecclesia: ita nulli in ea querendi sunt errores. Fideliter enim ac summa cum solertia ab Auctore suo collecta est, ac emendata; idcirco non modò inoffenso pede, sed etiam utilissimè legi ac decurri posse ego infrascripsus Doctor Alma facultatis Parisiensis, ac maioris Conuentus Patrum Carmelitarum Lugdunensium Prior testor. Actum in Carmelo nostro Lugdunensi die decima septima Decembris anni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi primi.

FR. REGINALDVS DE VAVLX, humilis Prior  
PP.Carmelitarum Lugdunensium.

---

R.P. Magistri Claudij Perier, Doctoris Theologi  
Ordinis Carmelitarum.

**E**go Fr. Claudius Perier Almæ facultatis Tolosanæ Doctor, & Carmelitarum Ordinis professus Sacerdos, quam libenti animo Bibliothecam Pontificiam, non modò ingenti & fideli labore à R. P. Ludouico Iacob à S. Carolo, eiusdem Ordinis Carmelitici professo Sacerdote, concinnatam esse attestor, verum Pontificiam maiestatem sapere ad sobrietatem contendeo. Datum in Carmelo nostro Lugdunensi die 2.Ianuarij 1642.

FR. CLAUDIVS PERIER.

R.P.M.

---

R.P. Magistri Michaëlis Micard, Doctoris Parisensis  
Ordinis Minorum.

Ego infrascriptus facultatis Parisensis Doctor Theologus, & Con-  
uentus S. Bonaventurae Lugduni Guardianus; testor me vidisse,  
ac legisse librum, Bibliotheca Pontificia, inscriptum, in quo omnia  
& singula orthodoxæ fidei consona, & maximo cum labore inuestiga-  
ta, ac proinde dignum qui prælo committatur, iudico. Datum in præ-  
dicto Conventu vigeſima Decembris anni 1641.

FR. MICHAEL MICARD.

---

R.P. Magistri Joannis Chauanon, Doctoris Theologi  
Ordinis Prædicatorum.

Silarent modò omnes Magnates terræ, nisi corum virtus ce-  
lebritate nominis sui, & stilo Scriptorum, qui famam eorum  
ebuccinant, animos omnium posterorum vehementer com-  
moueret. Silarent quoque non solum Consules, & Tribuni illi  
terræ, de quibus S. Job agit, nisi historici loquerentur. Denique  
mihi silere visi fuissent Summi Pontifices Romani vitâ functi,  
quorum sonus in omnem terram olim exiuit, teste Prophetâ,  
nisi in hoc Opere R.P.F. Ludouicus Iacob à Sancto Carolo, Au-  
thor duorum librorum, ex quibus constat Bibliotheca Pontificia,  
eorum nomina celeberrima velut è tumulo suscitasset. Tantum  
ergo eius opus censeo, sentioque, ut in lucem prodire mereatur.  
Ita testor Lugduni in Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum  
die 14. Januarij anni Domini 1642.

FR. IOANNES CHAVANON.

R. P. Magistri Joannis Teste-fort, Doctoris Theologi  
Ordinis Prædicatorum.

Istam Bibliothecam Pontificiam, non mole quidem corporea nimis immensam, sed spiritu & neruis ingentem, mirâ cum animi voluptate legi, selegi, collegi, probauit, approbauit, & legendam esse duxi, ut omnes eum inde fructum eliciant, quem ex huius laboriosi operis lectione depropensi. Videns enim Summos Pontifices non minus Epitaphiis, quam celsis meritis locupletatos, à mortis falce demersos, communem vniuersæ carnis ingressos esse viam, (in talem enim finem maxima quæque dilabuntur) à sapore rerum carnalium, ad saporem spiritualium, & æternarum animum traduxi meum. Datum Lugduni die 9. Ianuarij anni Domini 1642.

FR. IOANNES TESTE-FORT.

Clarissimi viri Joannis Claudiij de Ville, in S. Theologia Magistri,  
in Ecclesia S. Crucis Custodis, & D. D. Alphonsi Ludouici du  
Plessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi  
Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarij Generalis substituti.

Inspectis à nobis præfatorum S. Theologiæ Doctorum scripto  
consignatis testificationibus de historiæ veritate & sana do-  
ctrina huius Bibliotheca Pontificia duobus libris distinctæ, R. P. F.  
Ludouico Iacob à S. Carolo, Ordinis Carmelitarum alumno  
Auctore, in propalandis Summorum Pontificum encomiis. Nos  
tam sanctorum Patrum, virtutibus iure debitas commendatio-  
nes, tamque salutaris vitæ sanctioris Ecclesiæ fidelibus exempla  
destinata, concedere præli opera æquissimum iudicauimus.  
Lugduni 15. Cal. Febr. 1642.

DE VILLE, Vic. Gen. Subst.

Summa

---

*Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum  
Rege concessi.*

**L**VDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis  
authoritate sanctum est, ac patentibus litteris  
cautum, ne quis in regno suo, aliisve locis di-  
tioni suæ subiectis, intra proximos septem an-  
nos à die primæ impressionis inchoandos, ac numeran-  
dos excudat, vendat, excudendum, vendendūmque quo-  
uis modo & ratione curet, librum, qui inscribitur: *Biblio-*  
*theca Pontificia*, Authore R. P. F. Ludouico Iacob à Sancto  
Carolo, Ordinis Carmelitarum, præter eum, vel illos qui-  
bus ipsem et concesserit licentiam: idque sub confisca-  
tione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra  
delinquentes expressis. Datum Parisis die 19. Iulij, anno  
1642.

*De mandato Regis*

Signatum,

O L I E R,

---

E Go prefatus Ludouicus Iacob à Sancto Carolo, virtute predicti  
priuilegij consensum meum præbeo, ut dictum librum imprimat  
LAVRENTIVS ANISSON, Bibliopola Lugdunensis. Datum Lugduni  
die 3. Februarij 1643.

Fr. LVD. IACOB à S. Carolo.

b 3

INDEX